

~~Ed. 67~~

nicht versilmbaar

M) Gymnasium, Joh. Jas.

nebst 21-46)

Ed. 67
nicht weiter versilmbaar
nicht PK

(30) = MF

Pfatz. Wappen 215)

ARBITRII HV
MANI SERVITVS
ET LIBERTAS,

Theſibus aliquot deſcripta,

De quibus priuatim diſputabit CHRISTO Præſide
ſide ad VII. Cal. April.

Chriſtoph. Pelargus D.

Apud quem respondentis munere defungetur,

ἢ δὲ ἀναμῖρ

Nicolaus Roſenbergerus Marchiaçus.



Bernard. de grat. & lib. arbit.

Triplex nobis propoſita libertas, à peccato, à miſeria, à neceſſitate: hanc vltimo loco poſitam, contulit nobis in conditione natura: in prima reſtauramur à gratia: media nobis reſeruatur in patria. Dicatur itaq; prima libertas naturæ, altera gratiæ, tertia vitæ vel gloriæ.

Frankofurti,

Ed 67

ANNO M. D. X C.

christoph pelargus

I.

Lib. 3 contra
Pelag. hypogn.



Arbitrium ab arbitrando rationali consideratione vel discernendo quid eligat, quidue recuset, non male putat Augustinus nomen accepisse, vel ideo liberum arbitrium dictum, quod in sua positum sit potestate, habens agendi quod velit possibilitatem.

II.

Græci ἀντὲξόσιον & ἀντεθέλωσιον superba satis, ut plerisque visum, voce, passim appellant.

III.

Atque omnibus fatemur hominibus liberum esse arbitrium, & certa fide, cum Augustino credimus, & prædicamus indubitanter.

IV.

Facultatem siue potentiam definiens intellectus ac voluntatis, eligentem aut repudiantem sine coactione, proprio motu & aptitudine ad alterutrum, id quod intellectus eligendum seu repudiandum esse dicat.

V.

Quia vero voluntas hominis, aliter ante, aliter post lapsum consideranda venit: post conversionem quoque & renouationem alia apparet, quemadmodum post carnis huius resurrectionem aliam futuram nouimus: ne quis simpliciter & vno tantum modo libertatem à nobis vel concedi vel negari existimet.

VI.

August. de
corrup. & gra.

Ante lapsum namque voluntatem verè liberam sanamque fuisse profiteamur: quando tale gratiæ diuinæ auxilium collatum erat Adæ, quod & deserere posset, si vellet, & in quo permanere posset, si vellet.

VII.

Sed

Sed homo malè vtens libero arbitrio, perdidit & se
& liberum istud arbitrium, quòd peccatum in certami *Idem in En-*
ne vincens, hominem redegit ita in seruitutem, vt præ- *chir. c. 30.*
ter nomen vix quicquam remanserit.

VIII.

Vt velimus liberè nil nisi peccatum, aliàs serui in cõp
peccatis mortui Ioan 8, Eph. 2 Rom. 6, 2. Pet. 2. vt cessa-
re potius appellationem libertatis hic conueniat, cum
propter Adæ peccatũ, voluntas nostra serua facta sit,
à Deo auersa, tyrannidi diabolicæ subiecta: nisi Christi
miseriordia in libertatem pristinam reduceremur.

IX.

Hæc est arbitrii nostri post lapsum, nobis nondum
renatis, seruitus, eaq; in spiritalib., cum aliàs quæ infra
nos posita sunt, cuiusmodi οἰκονομικὰ καὶ πολιτικὰ pluri-
ma, à libertate & iudicio, voluntatis humanæ, quamuis
sæpenumero languidiore, pendeant.

X.

Post conuersionem verò, cuius vnã duntaxat scri-
ptura efficientem proponit causam S.S. Ezech. 36. alte-
ram ὀργανικὴν verbum sacrosanctum Rom. 1 & 10. volun-
tatis libertatem aliquam statuimus.

XI.

Quæ enim prius passiuè, vt loqui solemus, habuit
se, mota efficaciter, deinceps agere, siue à posteriori συ-
νεργῆν incipit: libertateq; ista partim ad benè partim ad
malè agendum vtitur: quandoquidem renatorũ opera
vt placent Deo, licet imperfecta, mandato certè diuino
aliqua parte conformia: sic displicent quædã, exemplis
sanctorum qui labuntur etiam, comprobantibus.

XII.

At mortalia hæc omnia vbi fuerint deposita & ima-

go Dei in nobis perfectè reparabitur, tum demum voluntas integra, verè libera nec πρὸς τὸ ἀμφοτέρω, sed ad bonum tantum, voluntati diuinæ minimè repugnabit, quod non modò non peccabimus vnquam sed nunquã poterimus, ἰσάγγελοι nempe Matth. 22. similesq; ei, quẽ videbimus, sicuti est 1. Ioan. 3. cuius imaginem in cœlis portabimus. 1. Cor. 15. XIII.

Vanitas ergò nulli erit ignota, eorum qui nostrarum virium nescio quam imaginantur adhuc integritatem, qua scilicet ad bonum in diuinis quoq; seu præparatione aliqua, seu applicatione amplectendum retinendumq; ex nobis ipsis simus idonei, cum expressa sit S. S. vox, φρονίμα ἄρκος εἶναι ἐχθρὰ μὲν εἰς θεόν: Rom. 8. & animalem hominem, ea quæ spiritus sunt, non δέχεται, 1. Cor. 2. XIV.

Ad quæstionem idcirco multoties agitatum: sitnè facultas talis quæpiam in natura corrupta ante regenerationem reliqua, qua ex nobis ipsis velimus & agamus Deo grata, nobis salutaria, non immeritò respondebimus & semper, ἀποφαίνωμεν.

XV.

Quamuis enim essentia ipsa animæ integra, vt cetera etiam naturalia, quoad οὐσίαν: sic tamen δάμαμεν singulas in homine vitiatas, parentum nostrorum lapsu primo, ex sacris tenemus, vt non sit, qui intelligat, non sit qui exquirat Deum: nō sit, qui faciat bonum vsq; ad vnum. Psal. 14. 53. Rom. 3. omneq; figmentum cordis humani tantum sit malum omni tempore. Gen. 6 & 8.

XVI.

Vnde ipsa non renatorum opera, quamlibet bona, quæ ciuilia aliàs, & disciplinam appellamus honestam, coràm Deo peccatum sunt, destituta fide, sine qua, vt
Deo

Deo quis placeat, fieri omnino nequit Rom. 14. Heb. 11.
quamobrem & tenebræ censentur. Eph. 4. Ioan. 1.

XVII.

Sed esto, inquires, vniuersalis & prima Dei solius gratia: hac interim frui vtiue sic poterimus, vt subsequentem promereamur: itaq; ἐφ' ἡμῶν in conuersione aliquid concedendum?

XVIII.

Næ impium est derogare Deo, arrogare tibi, Deo quod soli tributum manifestis, constat; sicut vnica cōuersionis nostrę causa seu initium seu medium spectes, misericordia Dei est, qui efficit, vt velimus, vt efficiamus, Philip. 2.

XIX.

Proinde August. Pauli istud ex Romanis repetens: 9. cap. Non est volentis, neq; currentis, sed miserentis Dei, vt totum ait, Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.

XX.

Et idē: Non vna est præueniens, altera subsequens gratia, & operans alia: totum Deo ascribendum tribuendumq; est, siue initia siue progressus, siue complementa & fines fidei bonæq; voluntatis nostrę spectemus.

XXI.

Quæ omnia, cum vera sint & ἀποδεικνύται, reiicimus primò Pelagianorum ineptissimas strophas, qui cum in alijs turpiter lapsi sunt, tum sic etiam nugati: si sola hominis voluntas potuit se vitare, ergo & sola se sanare potest: quos cum alijs, Augustinus eruditè & prolixè, nec sine nominis sui, vt Luthero placet, commendatione magna, refutandos sibi proposuit.

Lib. de Nat.
& gra. c. 23.

XXII.

A 3

Et scho-

Et scholasticorum improbamus sententiam, qui liberum arbitrium & vires ad bene agendum non omnino extinctas in cœlestibus volunt, sed vulneratas tantum atq; semimortuas.

XXIII.

Eorum etiam, qui initium regenerationis humanis audent assignare viribus, perfectionem S.S. gratiæ demum tribuunt: id quod alicubi Hieronymus quem tamen August. liberi arbitrii citat oppugnatorẽ sensisse videtur, ubi ait: Nostrum est incipere, Dei vero perficere.

XXIII.

Modiculi Erasmi defensores in eodem cum priorib. censu ponendos existimamus, qui post verbi divini auditum, aliquid, quantumvis infirmum languidũve homini inesse volunt, quo se applicare, & ad gratiam preparare queat.

XXV.

Qui impletionem legis, quam a regeneratis nobis præstari dicunt, salutis æternæ causam arbitrantur, non audimus.

XXVI.

Enthusiastas vero, Manichæos, novæ substantiæ conditores Flacianos, Stoicos, & qui cum his faciunt alij, ὄντοι ἀτόπων καὶ ὑπερόπτα ἢ ὀρθοδόξων, toto pectore auersamur.

XXVII.

Et alios omnes, qui sub laudibus naturæ latent, inimici gratiæ, quorum opiniones verbo Dei contrariæ sunt, & ab Ecclesia reiectæ.

XXVIII.

Patrum tamen dictis, quando aiunt, Deum trahere hominem οὐκ ἀνάγκη ἀλλὰ γνώμη καὶ προαιρέσει siue βολόμενον, in vero intellectu, absurditatem aliquam affingi haud facile patimur, cum ipsos non malè docuisse, ex ipsis docemur.

Quem-

De nat. &
grat. c. 45.
Lib. 3. cont.
Pelag.

Chrysof.
Basil.

XXIX.

Quemadmodum non aliena est à proposito Chry-
sostomi sententia, ser. 1. de Aduentu: Ante peccatum,
liberum arbitrium habebamus benè operandi, non au-
tem postea, quia non nostra virtute post peccatum eua-
dere possumus de manu diaboli. Sed sicut nauis fracto
gubernaculo, illuc ducitur, vbi tempestas voluerit: sic
à diabolo de peccato in peccatum ducimur, nec hacten-
us quicquam facere licebit, nisi quod ipse diabolus vo-
luerit. Et nisi Deus valida manu misericordiae nos sol-
uerit, vsq; ad mortem in vinculis peccatorum nostro-
rum permanebimus.

XXX.

Et Basilius in ea, quam περί ἀυτιξοσίης reliquit orati-
one, opus omnino homini esse gratia S.S. si Satanæ re-
sistere cupiat, fatetur: εἰ πορ ὡρ ἰχυερ ἢ τῆς ἀνθρωπότητ
φύσις, ἐκ τὸς τῷ ἀγίῳ πνεύματ
πανοπλίᾳς, σὺν αὐτῷ πρὸς τὰς
μεθοδείας τῷ διαβόλῳ, οὐκ ἄρ εἰρητὸ παρὰ τῷ ἀποσόλῳ, ὃ δὲ θεὸς
ἐργῶνις σωτηρίᾳ τῷ σατανᾷ ὑπὸ τὸν πῶδ' αὐτῶν ἐν τάχῃ. &c.

Quæ afferrī potuissent vberius, consultò omīssa sunt.

Coronidis tamen loco: Negamus hominem esse
truncum statuam seu stipitem, perpetuo passiuè se ha-
bentem.

Et quærimus: An non rectè Dn. Philip. in Art.
Bauaricis art. 22. voluntatem nominet tantum (in con-
uersione) subiectum patiens.

Et: Numquid, idem simul, patiens & agens eodem
tempore esse queat?

FINIS.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.


Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.









ITR II HV
 I SERVITVS
 LIBERTAS,

us aliquot descripta,

im disputabit CHRISTO Praes
 e ad VII. Cal. April.

oph. Pelargus D.

spondentis munere defungetur,
 ΗΤΙ ΔΩΑΜΙΡ

senbergerus Marchiaçus.



de grat. & lib. arbit.

oposita libertas, à peccato, à miseria, à
 timo loco positam, contulit nobis in con-
 rima restauramur à gratia: media no-
 ria. Dicatur itaq, prima libertas natu-
 ertia vitæ vel gloriæ.

Frankofurti, Ed 67

N O M. D. X C,

63